

**1353-1353- OFP - Acta Capitulum Generalium apud Bisuntium Celebrati**

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.  
Acta capituli generalis apud Bisuntium celebrati  
anno Domini · M° · CCC° · LIII° ·

**Iste sunt inchoaciones** facte apud Bisuntium anno domini · m° · ccc° · liii° ·

Inchoamus hanc: In capitulo de suffragiis mortuorum, ubi dicitur: Anniversarium vero fratrum, addatur: et sororum ordinis nostri. Idemque in calendario adnotetur.

Item. Inchoamus hanc: In capitulo de recipiendis, ubi dicitur: nec receptus fiat clericus nisi de licencia magistri ordinis speciali, addatur sic: nullus conversus recipiatur infra · xviii · annos nisi de prioris provincialis licencia speciali, et radatur hoc in eodem capitulo inferius, ubi prius erat, et post rasuram immediate ponatur: nullus etiam recipiatur illegitime natus nisi de priorum provincialium licencia speciali, et tunc sequatur: si vero clericus.

Item. Inchoamus hanc: In capitulo de electione diffinitorum capituli provincialis vel generalis, ubi dicitur: et ex tunc incipiat auctoritas eorumdem, addatur sic: quod si aliquis de illis quatuor diffinitoribus in capitulo [esse] non contigerit vel causa legitima impediri, electores supradicti secundum superius dictam formam possint statim alium diffinitorem dicti capituli eligere, qui mox electus eadem in omnibus habeat potestatem, quam ceteri habent diffinitores et loco mortui vel impediti, omnia negocia capituli cum aliis pariter diffiniet et tractabit.

Item. Inchoamus hanc: Ad preces et instanciam principis regis Romanorum et semper augusti quod de beato Adelberto martyre fiant tres lectiones per totum ordinem sequenti die post festum b. Georgii martyris.

Item. Quod de beato Procopio confessore fiant tres lectiones per totum ordinem modo consimili quarta die mensis iulii; et magister ordinis de officio providebit.

Item. Inchoamus hanc: In capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur: idem dicimus de socio prioris conventualis euntis ad capitulum provinciale electo, addatur sic: instante vero prioris provincialis electione, priorum conventualium illius provincie absolucionem nisi ob causam approbati criminis vel scandali gravis fieri per quemcumque prohibemus.

**Iste sunt approbaciones.**

Approbamus hanc: In capitulo de electione magistri ordinis, ubi dicitur: si autem post dictum festum magister ordinis decesserit, addatur sic: vel amotus fuerit; et ibidem cum statim subditur: obitus ipsius, addatur: vel amocio. Et hec habet · ii · capitula.

Item. Approbamus hanc: In (capitulo in) ordinario in rubrica de officio beate virginis, ubi dicitur: ab octava epiphanie usque ad septuagesimam in omnibus sabbatis, nisi festum simplex vel maius occurrerit, deleatur quod dicitur: in omnibus sabbatis nisi festum simplex vel maius occurrerit, et addatur sic: in omnibus sabbatis tocus anni, preterquam in sabbato ante dominicam primam quadragesime usque ad octavam pasche inclusive, nisi festum simplex vel maius occurrerit, et preterquam in octavis alicuius sancti, quando de eis agitur et in vigiliis sanctorum, qui propriam habent missam, et in sabbatis quatuor temporum. Et hec habet · ii · capitula. Et magister ordinis de officio providebit.

Item. Approbamus hanc: In capitulo de graviore culpa, ubi dicitur sic: carceris custodie mancipetur, addatur sic: si quis etiam alteri fratri ordinis vel etiam ipsi ordini crimen falsum imposuerit, propter quod crimen secundum nostrarum seriem constitutionum frater aliquis carcerem mereretur, aut crimina huiusmodi fratrum secularibus personis extra obedienciam nostri ordinis constitutis revelaverit, unde ordinis vel fratrum infamia seu dampnum fuerint consecuta, modo consimili carceri mancipetur. Et volumus, quod huiusmodi ordinis destructores non possint nisi per magistrum ordinis vel capitulum generale liberari. Idem dicimus de fratribus, qui inventi fuerint lusisse ad taxillos, quos etiam pene carceris volumus subiacere. Et hec habet · ii · capitula.

Item. Approbamus hanc: In ordinacionibus ordinis per dominum papam Iohannem factis, vim constitutionum habentibus, que in fine nostrarum constitutionum sunt posite, in capitulo de electionibus, ubi dicitur sic: nisi pro officio lectoratus, addatur: vel prioratus. Et hec habet · ii · capitula.

Item. Approbamus hanc: quod in singulis diebus, in quibus de beato Dominico et Petro martyre fit memoria in fine matutinarum et vesperarum, fiat etiam memoria de beato Thoma de Aquino, doctore eximio, post predictas, videlicet in matutinis per antiphonam: Collaudetur Christus etc. cum versiculo: Rigans montes etc., et in vesperis per antiphonam: O Thoma laus etc., cum versiculo: Declaracio sermonum etc., de cetero dicantur. Et volumus et ordinamus, quod omnia predicta superius per ordinem approbata isto medio tempore diligenter et fideliter observentur.

**Iste sunt confirmaciones.**

Confirmamus hanc: In capitulo de inclinacionibus, ubi dicitur: et per totam ebdomadam, addatur sic: et ad credo in deum in missa ad: ex Maria virgine et homo factus est, et amoveatur de loco, ubi solum inclinari mandatur. Et hec habet · iii · capitula; et volumus, quod in nostris constitutionibus adnotetur.

**Iste sunt ordinaciones et admoniciones.**

In primis, cum ex presidencium remissione ac subditorum transgressione et utrorumque concitatu, sequela, subtractione atque regularum notabili dissipacione ubique quasi nostrum ordinem non sine cordis amaritudine cernamus collapsum notabiliter et depressum, et fratres communiter constitutiones et ea, que per eos fienda sunt,

nec legunt nec student et communiter ea postponunt et negligunt observare, idcirco ad tante ruine, quantum hiis temporibus in manu nostra est, reparacionem animis ardentibus conspirantes, statuimus, volumus et ordinamus ac districte prioribus provincialibus vel eorum vicariis ceterisque tocuis ordinis presidentibus in suorum iniungimus remissionem peccatorum, et nichilominus sub obtentu paterne maledictionis imponimus et mandamus, quatenus circa prefatam reformationem cogitent et attendant et studeant diligenter, et iam dictas constitutiones et ordinationes capitulorum quascumque primitus in seipsis observent et teneant et faciant eciam a suis subditis et sororibus ordinis, per penarum impositiones, que in ipsis constitutionibus et ordinationibus precaventur, firmiter et viriliter observari, nec contra hoc alicui deferant nec trepident aut palpitent, cuiuscumque condicionis existat, sed quasi sanctorum filii altera manu exemplariter operantes, altera exhortacionis et coactionis gladio transgredientes velut adversarios religionis propellentes, tanto cicius, tanto virtuosius in virtute dei insurgentes, donum dei, ordinem videlicet sanctum, quem a nostris sanctis patribus tam mirabiliter constructum reperimus, reedificare festinent, quanto gravius eam in numero, moribus et sciencia, honestatis fama in conspectu dei et hominum ruentem aspiciunt atque deiici et contempni. Unde prioribus provincialibus et eorum vicariis in primis districtius precipimus, quod in suis proximis provincialibus capitulis curent in omnibus, quantum poterunt, reformare et per modos, quos de discretorum consilio repererint, constitutiones et admoniciones specialiter continentes, videlicet, quod omnes fratres frequentent refectorium ad unguem, ita quod nullus amplius quam bis vel ter in septimana ad plus a refectorio se absentet; et omnes tam de die quam de nocte ad chorum veniant et faciant divinum officium sollempniter et devote celebrari; et quod silentium arcte et stricte locis et temporibus interdictis teneatur; et quod observatores in conventibus singulis volumus deputari, qui omni septimana in capitulo de culpis accusent fideliter delinquentes; item, quod fratres, nisi illi, per quos conventus sustentatur, per villam discurrant, nisi raro, et tunc altera pars copule sit secura, solida et matura.

Item. Quod constitutiones et ordinationes de inclinacionibus et de non equitando sine licencia speciali, quam concedi nolumus nisi antiquis fratribus et ex causa; et de habitu ordinis quoad formam et materiam secundum constitutiones nostras deferendo et specialiter, quod vilitas in cappis observetur, et quod bis ad minus in anno per presidentes volumus examinari, et de bottonis non portandis in manichis, et de non comedendo carnes extra conventum nec infra conventum nisi secundum constitutionum formam; et quod fratres de arte medicine non se intromittant; et quod expense excessive totaliter prohibeantur; et de non tenendo pecuniam in manibus secularium nec extra depositum commune; et de non revelando facta ordinis personis extra obedienciam nostri ordinis constitutis; et de rasura secundum formam ordinis deportanda; et quod omni septimana sit capitulum de culpis, a quo nullus remaneat, cuiuscumque condicionis existat, sine licencia et magna causa necessaria et urgente; et de pictanciis per magistros vel lectores seu bacalarios in suis principiis nullatenus faciendis; et de non procurando aliquod officium infra ordinem vel amocionem seu remocionem vel eciam retencionem pro se vel pro aliis per personas extra nostri ordinis obedienciam constitutas; et quod in cameris non comedatur, nec sint in conventibus plus quam quatuor loca ad comedendum; et quod infirmi bene procurentur; et quod alias constitutiones ordinis faciant firmiter, prout poterunt, observari.

Et volumus et mandamus, quod pene in nostris constitutionibus vel ordinationibus duorum immediate capitulorum preteritorum, quas hic noviter confirmamus et laudamus, imposite et taxate transgressoribus imponantur, in quibus priores provinciales et alii presidentes minime dispensent nisi raro et in paucioribus et ex causa rationabili movente; mandantes prioribus provincialibus et eorum vicariis, quod priores et supprioris et alios rectores, mox cum eis constiterit, qualiter dispensaverint in predictis, absolvant et alias penas superaddendo.

Ceterum statuimus et mandamus, quod in conventibus constitutiones ordinis supradicte in refectorio bis integraliter legantur in quolibet mense omnibus fratribus presentibus et comedentibus in eodem.

Item. Cum propter pestilenciam preteritam generalem ordo noster sit in personis diminutus, et nisi provideatur, verisimiliter formidemus, quod deficeret gravius et notabiliter in futuro, idcirco imponimus prioribus provincialibus et eorum vicariis ac ordinis presidentibus universis, quatenus per se vel per alios cum omni diligencia iuvenes in moribus et sciencia aptos et ydoneos ad ordinem inducere et recipere studeant toto posse; quibus receptis unum de maturioribus et senioribus fratribus sibi preferant in magistrum, qui eos in omni humilitate et honestate et religionis fundamentis iuxta constitutionum nostrarum seriem curet docere, instruere et nutrire; aliisque iuvenibus artistis magistros tam grammaticice quam logice quam eciam naturalium deputent et adsignent, quos in aliis nullatenus occupent vel perturbent, et ordinent sub certis penitenciis, quod, cum defecerint, senciant realiter et de facto, quod tam ipsi quam studentes in theologia et eciam alii fratres die aliqua de scolis non remaneant absque presidentis licencia speciali. Super quo utrobique statuunt diligenter, quod omni die presidenti accusent et deferant delinquentes; quibus eciam, si eorum indigencia hoc requirat, et alias probitati et studio sint intenti, volumus et ordinamus, quod de libris et de bonis fratrum defunctorum secundum conventuum et fratrum condicionem de discretorum consilio sibi provideatur. Et volumus et ordinamus, quod omnes magistri arcium ad scholas post prandium revertantur et de mane perlectas lectiones repetant et faciant a suis scholaribus per partes recitari. Lectores eciam ad tardius circa festum omnium sanctorum incipiant lectiones et eas continent et omni septimana disputent saltem semel; et ordinamus, quod ante festum Magdalene lectiones non terminent vel dimittant. Idem dicimus de magistris arcium supradictis. Quicumque vero supradicto tempore non inceperit vel legere non continuaverit vel cicuis lectiones dimiserit, quam sit dictum, mox ad ebdomadariam in choro et ad alia officia, prout ceteri fratres adnotentur; et nolumus, quod alius ante eos in dicto casu scribi valeat vel notari; adiicientes supradictis, quod priores provinciales vel eorum vicarii et diffinitores capituli

provincialis illos studentes de Parisius vel aliis studiis generalibus redeuntes, qui a magistris vel scholaribus actu legentibus ac bacalariis et magistro studencium testimoniales non detulerint litteras cum sigillo, quod ibi bene secuti fuerint scholas et alios consuetos actus scholasticos fecerint, prout decet, ad lectiones aliquas nullatenus deputent et assignent. In capitulis eciam provincialibus nemo ad legendum alicubi deputetur, nisi prius testimonio eorum, qui eius sufficienciam debent nosse, per preceptum depositi aptus et sufficiens in moribus et sciencia fuerit iudicatus.

Item. Cum ex insufficiencia predicancium et confessiones audiencium ordo noster frequenter scandala paciatur et veniat in periculum animarum, volumus et ordinamus, quod priores provinciales ac eorum vicarii diligentissime caveant, ne predicacionis officium et confessionis audienciam alicui committant ad instanciam cuiuscumque fratris, nisi fratribus ad hoc ydoneis, moribus et sciencia approbatis, quos (alias huiusmodi commissionem) super predictis examini fratrum discretorum volumus subiacere; adiacentes supradictis, quod ad sacros ordines de cetero nemo promoveatur per quemcumque, nisi per tres discretos fratres et litteratos examinatus fuerit diligenter, et ad minus in grammaticalibus sufficiens sit inventus, quibus examinaturibus sub pena gravioris culpe imponimus per presentes, quod fideliter deponant de meritis et sufficiencia singulorum. Et volumus et ordinamus firmiter et expresse, quod nullus in ordine de cetero fiat predicator generalis, nisi qui, preter condiciones in nostris constitutionibus positas, decenter sciverit clero et populo proponere verbum dei.

Item. Cum ordo noster in soliditate veritatis fuerit fundatus et de scienciis vanis et curiosis non curans, veritati, doctrine et sciencie semper studuerit firmiter inherere, districte imponimus fratribus universis, quatenus loquendo, legendo, determinando, predicando, disputando, respondendo, nemo audeat assertive tenere contrarium eius, quod in communi doctrina est consuetum, specialiter contra doctrinam s. Thome doctoris. Quicumque autem per priorem provincialem vel eius vicarium, qui super hiis diligenter inquirere teneantur, inventi fuerint deliquisse, per eosdem a lectoratus officio vel alia quavis lectione vel studio absolvantur.

Item. Cum ex eo quod nonnulli libros et alia bona communitatis vendunt et destruunt pro libito voluntatis, conventus ordinis quasi universi dampna plurima incurrerint, idcirco volumus et expresse ordinamus, quod nec presidens in conventu libros communitatis absque prioris provincialis licencia speciali, nec frater quicumque libros sibi appropriatos modo consimili absque prioris vel presidentis licencia et fratrum discretorum, qui ad consilia vocari solent, consilio pariter et assensu vendere, destruere, alienare, dare valeant quoquo modo. Quicumque vero contrarium temptare presumpserit de bonis per ordinem sibi concessis seu appropriatis ex vi presentis ordinacionis ipsius conventus communitati nunc pro tunc tantumdem damus et exequi volumus, firmiter eciam mandamus, et nichilominus, quod factum fuerat, sit irritum et inane.

Item. Volumus et ordinamus, quod [quicumque] frater solus extra conventum sine licencia sui superioris vel cum alio fratre discurrerit, penam gravioris culpe se noverit incurrisse, quam sub precepto sancte obediencie per presidentem, in cuius terminis receptus fuerit vel repertus, facere compellatur. Predictam autem superiorum licenciam prelatorum omnes fratres, preterquam priores provinciales ubique, magistri in theologia et bacalarii et priores conventuales et fratres, [qui] capitulorum generalium aut provincialium fuerunt diffinitores infra suam provinciam duntaxat per litteras testimoniales, quas infra unam diem presidenti in conventu, ad quem eos contigerit declinare, ostendere teneantur; adiacentes predictis, quod in loco, ubi conventum habemus, fratres quicumque in villa non comedant aut iaceant quoquo modo, nisi de prioris vel presidentis licencia speciali; quam eis dare prohibemus absque causa necessaria et multum urgente, et in locis in constitutionibus expressis. Quod si quis contrarium attemptaverit, in virtute sancte obediencie precipimus presidentibus supradictis, quatenus tales fratres valeant arrestare, quousque penam fecerint gravioris culpe; quod si facere recusaverint, eos ipso facto omni voce privamus.

Item. Cum ex sufficiencia fratrum et numero regencium Parisius plurimum resplendeat ordo noster et ex opposito honori eius et fame quam plurimum detrahatur, volumus et ordinamus, quod nullus frater nostri ordinis, postquam magisterii in theologia insignia in studio obtinuerit supradicto, scholas et regimen dicti studii dimittat, quousque magistrum habuerit successorem, absque magistri ordinis licencia speciali.

Item. Cum ordo noster ex institutione studuerit ecclesiarum prelati reverenciam impendere et honorem, iniungimus fratribus universis, districcione quantum plus possumus, quatenus de huiusmodi prelati aliquo modo obloqui vel eis detrahere non presumant. Si quis [autem] in ipsorum detractionem laxaverit linguam suam, et ad eorum noticiam relacione pervenerit fide digna, ipsique de hoc iusticiam sibi fieri pecierint, volumus et mandamus, quod prelati ordinis, quibus querela proposita fuerit, detractores huiusmodi compellant [pene] gravioris culpe subiacere.

Item. Volumus et ordinamus, quod bona illorum fratrum, qui propter sua demerita carceri sunt perpetuo iudicati, illis conventibus applicentur, in quibus inclusi detinentur, ut sic ex eis valeant predictorum necessitatibus providere. Idem dicimus de apostatis, quorum bona provincie usibus vel conventibus secundum morem provincie applicentur.

Item. Cum ex eo quod fratres a suis nativis conventibus pro levi causa interdum removentur, conventus ipsi in numero et merito fratrum ut frequencius defectum quam plurimum paciantur, volumus et ordinamus, quod nullus frater a suo conventu nativo amoveatur per quemcumque, nisi tantummodo propter studium vel propter officium seu vitandum ordinis scandalum vel eciam propter necessitatem.

Item. Cum criminosos et eorum complices sacrarum legum sanctio eadem pena mandaverit feriendos, volumus et ordinamus ac eorum prioribus provincialibus et ceteris presidentibus precipimus et mandamus districte, quod si

aliquem fratrem invenerint, qui per scripturam vel quovis alio modo fratri alteri ad carcerem vel inclusionem iudicato scienter revelaverit, quod hoc fieri debeat, ut sic fugiendo deludat ordinis disciplinam, vel etiam qui iam incarceratum vel inclusum ad fugam temptaverit vel procuraverit liberare, mox tales, sicut dictum est, delinquentes absque dilacione loco fugitivorum predictorum carceri non differant mancipare.

Item. Cum propter exemptiones exorbitantes petencium ut plurimum a prelati executas, conventus citra mortalitatem notabiliter pregraventur, idcirco reverendus magister de unanimi et concordii consilio et assensu diffinitorum huius anni gracias omnes et singulas exemptorias a choro et refectorio et de cameris non tenendis in sanitate [extra commune dormitorium] et de non exeundo ad terminos visitandos, et de exeundo conventum sine licencia presidentis, et successione bonorum quibusvis fratribus et sororibus concessas sive per dictum magistrum sive per priores provinciales et presidentes ordinis quoscumque, sub qua forma verborum sint concesse, simpliciter et de certa sciencia revocat et annullat, eciam si in eis dicatur, quod tales minime possint revocari, nisi expressa et specialis fiat mencio de eisdem, iniungendo nichilominus et imponendo prelati et prioribus universis, quod huiusmodi gracias nisi spectabilibus personis, et qui diu laudabiliter in ordine laboraverint, alicui de cetero non concedant.

Item. Denunciamus fratribus universis, quod diffinitores huius anni rogaverunt reverendum patrem magistrum ordinis, quod nulli fratri ordinis pro aliquo studio extra suam provinciam licenciam concedat, nisi prius de eius vita et sufficiencia a suo priore provinciali testimonium habeat fide dignum, quod dictus pater promisit totaliter observare.

Item. Quia parum prodest decreta condere, nisi adsit, qui fideliter ea exequatur, et rigor iusticie remittitur, imo verius contempnitur, cum pene faciliter relaxantur, idcirco mandamus et iniungimus prioribus provincialibus sub pena absolucionis, de certa sciencia et expresse, quatenus omnia et singula supradicta observent et observari faciant diligentius etiam ab aliis per penarum impositionem, et non nisi raro et ex urgente et magna causa attemptent cum aliquo dispensare. Iniungentes eisdem, quod priores et presidentes mox a suis officiis absolvant aliasque penas eisdem imponant, capitulo provinciali minime expectato, qui remissi circa predicta fuerint inventi vel etiam negligentis. Et volumus et ordinamus, quod huius anni ordinationes et declarationes fratribus congregatis, ad minus semel in mense, legantur in capitulo vel in mensa.

Item. Discordias et ingrattudines vitare cupientes plurimorum, volumus et ordinamus, quod fratribus sentencias vel bibliam legentibus actu in studio quocumque ordinis generali, unus substitutus et non plures per litteram deputetur.

Item. Pro eo quod fratres nonnulli, quibus ex iure et gradus celebritate camere in ordine conceduntur, in diversis conventibus quandoque detinent cameras diversas impeditas, quod in ipsorum conventuum redundat tedium et gravamen, idcirco volumus et mandamus, quod nullus de cetero, etsi magister in theologia fuerit, nisi unam cellam vel cameram in conventu, ubi communiter residet, valeat aliquo modo occupare.

#### **Iste sunt declarationes.**

Declaramus hanc: In capitulo de domibus concedendis et constituendis, ubi dicitur: nisi forte illo anno propter obitum fratrum dictus numerus fuerit diminutus, quod intelligatur ille annus propter pestilenciam communem preteritam, quousque per fratrum ad ordinem receptorum multiplicatam tantus possit reparari defectus, ad quod priores provinciales volumus dare operam efficacem.

Item. Declaramus hanc: In capitulo de apostatis, ubi dicitur: quod quamdiu prelato placuerit, pene gravioris culpe subiacebit, quod hoc intelligitur propter solam apostasiam; pro aliis autem delictis, que in ipsa apostasia inventus fuerit commisisse, ac si ea infra ordinem et cum habitu commisisset, secundum constitutionis rigorem et ordinationes pena debita puniatur.

Item. Declaramus hanc: In capitulo [de capitulo] provinciali, ubi dicitur: Infra vero quinquennium ab ordinis ingressu fratres aliqui non admittantur [in conventibus] ad discussionem eorum, que ad capitulum generale vel provinciale sunt mittenda, nec ad electionem socii prioris conventualis; et etiam quod totum tempus noviciatus, eciam si plures fuerint anni, pro uno tantum anno computetur, et quod post quatuor annos a professione et non ante ad predicta omnia admittantur.

Item. Declaramus hanc: In capitulo de electione prioris [conventualis] et institutione supprioris, ubi dicitur: prior autem conventualis de discretorum consilio instituat suppriorem; quod priores provinciales in suis provinciis dumtaxat possint instituere supprioris, quia in rectoribus essentialiter ordinatis, quod inferiori conceditur, maiori nullatenus denegatur, nisi super hoc specialis exceptio subsequatur.

Item. Declaramus hanc: In capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur: hoc idem in electione priorum conventualium et tractatu eorum, que mittenda sunt ad capitulum provinciale observetur, quod electione instante prioris conventualis in conventu vel tractatu de socio faciendo, si aliqui fratres extra conventum infra dietam fuerint, ad eos presidentes nuncios transmittant; quod si in loco, pro quo visitando licenciam specialiter pecierint vel in loco suorum terminorum principali eos non invenerint, cum testimonio fide digno apparuerit, quod sine omni fraude curam in inquirendo habuerunt diligenter, in eorum absentia ad electiones iam dictas rite et canonice nichilominus procedatur.

Item. Declaramus hanc: In capitulo de sollempni celebratione capituli, ubi dicitur: accusacio unius tantum ad capitulum generale vel provinciale non mittatur, quod nulla talis accusacio probata reputetur, nec ex ea ad sentenciam aliquam procedatur, nisi preter accusantem vel proponentem ad minus duo testes ydonei adducantur.

Item. Imponimus prioribus provincialibus universis, quod huius anni declarationes et omnes alias preteritis temporibus factas, quas habere poterunt, notent diligenter in uno volumine, et cum aliis provincie scriptis custodiant et conventibus communicent, prout decet.

Item. Declaramus et denunciavimus presentibus ceterisque fratribus universis, quod dominus papa noster denunciavit publice et manifeste, quod capellani honoris domini pape supradicti, nullam exemptionem ab ordine habent vel suis superioribus vel privilegium speciale. Propter quod hiis diebus prefatus sanctissimus dominus reverendo patri magistro ordinis imposuit expresse, quod contra tales capellanos reducendo, corrigendo, arrestando, si opus fuerit, procedat audacter, sicut contra alios fratres ordinis. Quare imponimus fratribus universis, quod contra huiusmodi capellanos vagos iusticie exercent rigorem et eos reducant ad ordinis disciplinam.

Idem dicimus de fratribus, qui sunt regibus, prelatis, baronibus et aliis spectabilibus personis pro confessoribus deputati, quos eorum prelati, cum deliquerint, puniant, prout decet, et si opus fuerit, eos reducant ad ordinis disciplinam vel clausuram, dictis spectabilibus personis alios honestos et solidos deputando.

Expliciunt acta capituli generalis apud Bizuncium celebrati anno domini · m<sup>o</sup> · ccc<sup>o</sup> · liii<sup>o</sup> ·, tempore domini Innocencii pape et magistri Simonis, qui tunc erat magister ordinis fratrum predicatorum.